

HARIOLOPHVS ABBAS ELVVANGENSIS.



**H**Ariolphus ex illustri loco apud Francos natus fuit. Eum parentes studijs addicarunt, atque doctis præceptoribus commendarunt. Itaque in uirum doctissimū excreuit, atque suis uirtutibus passim innotuit. Cum autem opibus excelleret, atque literarum studia & Dei gloriam illustrare satageret, nobile illud Sueuiæ monasterium Eluuan gen edificare cœpit, atque insignem ibi scholam piorum hominū instituit. Ut etiam ordine omnia fierent, ipse primus eius loci abbas constitutus fuit. Id quod factum est circa annum Domini septingentesimum quinquagesimum quintum, cum Pippinus rex Francorum clarus esset, qui etiam huius

monasterij fundationem plurimum adiupit. Itaque Hariolphus in eo loco uirtutes plantauit, atque tandem moriens S. Viterbum successorem habuit. Anon. in Episc. August. Viterb.